

Heinrich Rahn Jacob Sebastian Lauremberg

Disputatio Iuridica De Iniuriis

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766232999>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO JURIDICA
DE
INJURIIS,

QUAM

Divino numine feliciter adspirante,
permissu

AMPLISSIMÆ FACULTATIS
Juridica in Inclÿta Rosarum Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Consultissimi Clarissimi

Dn. HENRICI Rahnen / J. U. D.

& P. P. Præceptoris, ac Mœcenatis sui
ætatem honorandi

Publico Examine subijcit

Jacob Sebastian Lauremberg.

Auct. & Resp.

Habebitur in auditorio majori ad diem 28. Martij.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

ROSTOCHII,


Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1640.

DISPUTATIO JURIDICA

INJURIS

Divino lumine sic et ad spiritus

AMPLISSIMA FACULTAS



DR. HENRICI JOHANNIS U.D.

& F. P. H. S. C. P. O. N. S. A. C. M. S. C. A. S. I. A. S. I. A. S.

Specimen Juris Jurisprud.

ROSTOCKII

Typog. Anstalt

Non novum, est aut insolens, in alterius famam tetra & abominanda convicia jaculari, cum jam ex antiquorum serie haut pauci assidum hos morsus experti sint; quot enim, & quam atroces injurias Spartanâ nobilitate fortiter concoxit illud patientia exemplar Socrates? adeo ut ab amicis adhortatus inestabili, & deperdito nebuloni (qui in eum injurius fuerat) dicam impingere facerâ eos cluserit responsione, & quid (inquiens) si me asinus calce percussisset, eumne vobis authoribus injus obtorto collo rapere, & vadimonio obstringere dignarer. Equidem Socraticâ hac mentis generositate qui lubricos vulpecularum insultus forti, infractosq; animo ferre norunt, vix tot invenies, quot sunt

Thebarum portæ, aut divitis ostia Nili.

At horum, qui injuriosis factis famam sibi nominisq; celebritatem parare, in omnem ætatem, sexum, ordinem temerè debachari audent plures, quam musearum mediâ ætate cum caletur maximè. Hanc igitur famosissimam materiam, inexpiabile illud INJURIE delictum, quod nunc quidem non inter culpas, sed mores censetur, disputatiunculâ complecti, uberioriq; stylo persequi sustinui, tantumq; de eo publico-examini subycere, quantum horarum aliquot meditatio tum Ingenij vigor passa fuerunt. Adsis o clementissime Deus præsidio tuo, ut felix, & optatus eventus cæptis respondeat.

THESIS PRIMA.

Injuria quin in generaliore significato pro omni eo accipitur quod non jure fit, dubium nullum est, l. 1. in princ. de Injur. princ. Inst. cod. Aliàs pro subjectæ materiæ varietate, variè quoq; sumitur. In l. Aquilia damnum dolo, culpæ datum, injuriâ factum dicitur l. 5. §. 1. ff. ad l. Aquil. §. 14. Inst. cod.

A

In ju.

In judicijs sinistram, & sequiorem judicandi proterviam *l. 1. in fin. princ. h. t.* nobis in praesentia contumeliam denotat, quae ei, qui injuriam passus est, affricatur. Atq; ita plerumq; Jcti hoc vocabulo utuntur, *l. 15. §. ait. Prætor & seqq. aliq. ff. h. t.* quamvis Pacuvius apud Nonium Marcellum hæc duo distinguat; quemadmodum & Seneca. Nos communi, & à Jctis recepto loquendi usu contenti definimus Injuriam, quod sit:

II.

Delictum dolosè in contumeliam alicujus commissum.

III.

Delictum (1) esse probat *l. 4. ff. de Oblig. & Action. princ. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc. l. ult. C. de Injur. & quidem, privatum l. 7. c. h. t.* quod (2) cum dolo malo & animo injuriandi conjunctum est, *l. 3. ff. §. 11. Inst. h. t. l. 53. ff. de furt. l. 34. princ. de obl. & act. l. 9. l. 10. C. h. t.* qui præsumitur ex verbis, factisve per se injuriosis, donec reus contrarium probet, *l. 18. §. 3. ff. l. 5. C. de Injur. Schneid. ad princ. Inst. n. 17.* Hinc Seneca *l. 3. de Ira. c. 26.* nulla est injuria nisi à consilio profecta Quod si ob circumstantias res dubietatis quid habeat, juramento innocentiam probare tenetur reus, *l. 5. §. 8. ff. h. t. l. 6 §. 4. ff. de his qui not. infam. l. 18. C. eod. Gail. 2. observ. 106. n. 5.* Addo 3, alicujus: quod verbum intellectum volo de libero homine. Nam servo, quæ servo, utpote Juris civilis incapaci nulla fit injuria, hoc scilicet effectu, ut injuriarum actio competat, *§. servus, 3. Inst. h. t. junct. l. 3. in fin. ff. de capit. demin. l. 32 de R. J. nisi atrocius puid in ipsum commissum fuerit, d. §. Inst. & l. 15. §. 34. 35. 43. 44. ff. h. t.*

IV.

Causa efficiens hujus delicti sunt homines injuriandi animo alios dolosè insultantes. Sive autem unus sit, sive plures, sive sponte suâ, sive aliùs mandato & suafu in talem quis effervescat petulantiam, quilibet horum tenetur in solidum. Tot enim injuriarum sunt, quot personæ, *l. 11. princ. §. 3. 4. & 6. l. 15. §. 8. ff. §. 11, Inst. h. t. l. 34. eod. l. 9. D. de Jurisd.* Tota tamen Civitas, vel Universitas, aut Collegium injuriarum actione conveniri potest: licet omnes non deliquerint, *arg. l. 9. §. 1. ff. quod met. cans.*

V. Adeo

V.

Adeò autem ex suo delicto quisq; tenetur, qui injuriam facit, ut nec jussus patris filium excuset à pœna, *d. l. 11. §. 5. ff. h. t.*

VI.

A qua tamen sibi non metuere habent ij, in quos tale crimen cadere non potest: Vel ob ætatem (ut de animalibus nil dicam, hæc enim expertia esse fraudis & injuriarum ex *l. 1. ff. Si quis pauper. fec. dicat. junct. can. 3. 15. q. manifestè apparet*) qualis est pupillus infans, vel infantia proximus, *l. 3. §. 1. ff. h. t. §. 18. Inst. c. 2. 15. q. 2.* In proximis pubertati, cum doli capaces sint, secus se res habet, *l. 111. de R. J. l. 23. ff. de furt.*

VII.

Vel ob animi defectum, ut Furiosus, *d. l. 3. §. 1. ff. h. t. l. fin. in fin. D. de admittit tut. c. 2. 15. q. 1.* cui comparantur, dormientes. Nam & hi, cum dolo careant, peccare non videntur, *c. unic. de homicid. in clem.*

VIII.

Diversum obtinet in prodigo, quamvis enim ille furioso comparetur, *l. 80. de R. J. l. 6. ff. de V. O. & consimilem quoad bona cum eo dicatur facere exitum, l. 12. in fin. ff. de Tut. & Curat. dat. ob. his* tamen cum rationis & doli incapax non sit, ex illata injuria eum teneri, meo quidem judicio nullum habet dubium.

IX.

De ebrio quid statuendum aliquantro majoris indaginis res est. Variatur hic sententiis maximè, aliis affirmativam, negativam aliis strenuè tutantibus, Ego benè potum & adpersum flore Lyberi patris non teneri injuriarum statuo *cum Wesenb. in §. hic n. 4.* si leviuscula sit injuria, in verbis præsertim subsistens, & si eam excussa ebrietate pœnitentia sequatur: Quia ebrietas mentis inducit exilium, *c. A crapula 14. de Vir & honest. cleric. ignoransq; & sine dolo delinquit, qui vino nimium incaluit, can. sanè. 7. 15. q. 1.* Contrà si atrox injuria sit, eum teneri non inficior. v. g. si vulnera inflicta fuerint: quamvis enim etiam tunc dolo videatur carere, tamen culpæ reus est *l. 11. §. 2. ff. de pœn. & ideo à pœna extraordinaria minimè excusatur.* Quia non est ferendum, ut quis ex alterius stultitia damnum ferat. Tum, ut pœna omninò remittatur,

A 2

& exem-

& exemplo fuerit perniciosum, cum Baccho litantes non dent rei licitæ operam: & repugnabit rationi, cum ipsi sibi sint suæ ignorantia, ex qua peccant, causa, *Aristot. 3. Ethicor. s. jung. Clar. in S. final. q. 60. n. 12.*

X.

Similiter nec illos, qui irati, in iracundia ex justa causa ortæ injuriam faciunt, ordinariæ pœnæ subjiciendos sentio, *arg. l. 48. de R. J. Can. si quis. s. c. 2. q. 3.* sed secundum jam datam distinctionem, vel absolvendos, vel pro circumstantiarum qualitate mitius puniendos esse. Ut nec amatores, quorum cor ita amoris adfectus permadefecit, intimaq; permanavit penetralia ut cū Plautino adolescentente conqueri necesse habeant, se virtute, famâ, ipsa deniq; excidisse ratione, qui his verbis concludit. Nunc verò nihil sum, idq; meopte ingenio repperi.

XI.

Præter supra th. 6 & 7. adductos in pœnam, aut ipsum crimen planè non incidunt, qui errore facti *l. 3. §. 4. ff. h. t. l. 11. §. fin. de his qui notat infam. l. 2. D de jur. & fact. ignor. aut necessitate l. 167. de R. J. l. 13. §. 1. 2. & 6. ff. h. t. Arist. s. Ethic. 8. aut casu, l. 11. §. penult. ff. de pœn. aut ex alia quavis justa & probabili causa alios lædunt.*

XII.

Exemplum hujusmodi est in Astrologo vel divinatore, qui consultus furem aliquem dicit citra veritatem, *l. 15. §. 13. h. t.* in præceptore discipulum, & patre filium moderatè castigante *l. 13. §. 4. ff. Locat. l. 5. in fin. ad l. Aquil. l. 18. §. 2. de pœn. l. 3. C. de patr. potest. l. unic. C. de emendat. propinq.* in servo, qui defendendi Domini gratia aliquid facit præter decorum *l. 17. §. 8. ff. h. t.* ejusdem generis etiam ij sunt, qui matronam, aut virginem ancillari, aut meretricio habitu vestitam appellant, *l. 15. §. 15. h. t.* (appellare hic est blanda oratione pudicitiam alterius attentare *d. l. §. 10.*) Qui clericum cum laico habitu circumvagantem nescientes esse clericum percunt, vel ferociter increpant. Hi enim minus peccare videntur, quam qui virginem, matronam aut clericum malè accipiunt, *l. 15. §. 15. ff. h. t. c. 25. de sen. Excom.*

XIII.

Cæterum qui faciunt injuriam, hos & pati posse constat. *l. 3. in princ.*

15
in princ ff. h. t. at non vice versa. Interdum enim obnoxius quis est injuriæ, qui tamen alii eam inferre non potest, imò ne quidem intelligit quid sit injuria, ut impubes, furiosus, d. l. 3 §. 1. h. t. Itaq; pati quis injuriam, etiam si non sentiat, potest; facere nemo nisi qui scit se injuriam facere, etiam si nesciat, cui faciat d, l 3. §. 2. h. t. Justo igitur, & decenti ordine nos acturos autumo, si subjiciamus qui accipere injuriam possint.

XIV.

Patimur autem injuriam vel immediatè in propria persona, quòd fit, quando paterf. vel materf. directò læditur, l. 1. §. 3. h. t. vel mediatè in personis aliis. Quarù aliæ sunt per se ferè incapaces, injuriæ, & eam suæ personæ non inhærentem ad alios transmittunt: aliæ & ipsæ sunt capaces, ut tamen eo ipso etiam aliis fiat injuria, ita ut plures injuriarum agere possint, §. 3. Inst. l. 1. §. 3. ff. h. t.

XV.

Qui ferè per se incapaces sunt contumeliæ, sunt servi de quib. sup thesi. 3. in fin. fuit dictum. Hi ergo si injurià afficiuntur atrociori, atrociori inquam ex §. 3. vers. servis a. Inst. h. t. in ignominiam domini, dominus ipse pati intelligitur, l. 1. §. 3. l. 26 ff d. §. 3. Inst. h. t. l. 8. C. eod.

XVI.

Servus porrò vel proprius est, vel communis. De proprio jam dixi. Communis est servus vel ratione domini, vel ut alter habeat usumfructum, alter dominium. In priori proportionaliter obtinet, quod de proprio asseveravi in precedenti thesi: ita ut ex dominorum persona æstimeretur injuria, §. 4. Inst. h. t. In posteriori dubium esse potest, cui inferre injuriam voluerit injurians, quo in casu proprietario datur injuriæ vindicatio: aut injuria quoq; tangit fructuarium, & fructuarius etiam injuriarum agere potest, §. 5. Inst. h. t. l. 15. §. 48. ff. eod.

XVII.

Sed satis de turpi servitute, quæ cum hodiè abolita sit, & sublata non est, ut de ijs magnoperè sumus solliciti. Illud forte non prorsus abs re erit decidere: An nostris temporibus famulis, ancillis, mercenarijs illata injuria dominum tangat? Ego ad hujus quæstionis decisionem adduco verba Just. ex §. 6. Inst. h. t. ubi

A 3

ait: Si

ait: si libero homini (cui similes fermè famuli hodie sunt apud nos) qui tibi bona fide servit, injuria facta sit, nulla actio tibi dabitur, sed suo nomine experiri poterit, nisi in contumeliam tuam pulsatus sit, tunc enim competit & tibi injuriarum actio; *jung. l. 15. §. penul. h. t.*

XIIX.

Personæ quæ ipsæ capaces sunt Injuriarum, & tamen etiam per eas alijs fit injuria, sunt liberi nostri, §. 2. *Inst. . h. t. l. 1. §. 3. & fin. l. 18. §. 2. l. 2. C. h. t.* Ita ut pater duobus judicijs & suam, & filij injuriam possit vindicare.

XIX.

Præter liberos referuntur ad classem eorum, per quos, licet ipsi sint contumeliæ capaces, nobis etiam injuria infertur, nurus & uxor, *d. §. 2. Inst. d. l. 1. §. 3. l. 18. §. 2. ff. l. 2. C. h. t. Sponsa l. 15. §. 24. defunctus, cui existimus heredes l. 1. §. 4. 6. ff. h. t.*

XX.

Generaliter uni ex familia facta injuria omnes tangit *l. 1. 2. 3. ff. de liber. caus.*

XXI.

De illo nondum convenit inter Interpretes: An ob injuriam Vasallo, vel subdito illatam domino actio nascatur? meum ego *We-senb. in §. h. t. n. 6.* adjicio calculum, ut tunc ipsi hoc concessum videatur si vel ejus latus tangatur hac ignominia; puta si in carcerem subditus, vel vasallus sit coniectus, vel aliâ injuriâ reali ita adfectus, ut ejus ministerio uti amplius commodè non possit, vel si hoc ipso jurisdictio sit violata. *Vid. Gail. 1. observat. 125.*

XXII.

Sequitur nunc diversa infligendarum injuriarum ratio & modus; illum ego aliorum pace duplicem facio. Vel enim Re injuria fit, vel Verbis. Re fit aut in corpus, vel extra corpus. In corpus, quando nobis ipsis, aut illis, quos nexu sanguinis, aut adfectus conjunctos habemus, manus inferuntur, *l. 1. §. 1. & 2. ff. §. 1. Inst. h. t. aut corpus verberatur h. e. cum dolore cæditur: vel pulsatur h. e. sine dolore, l. 5. §. 1. h. t. d. §. 1. Inst. eod. vel alio modo læditur v. g. si perfundatur cano luto vè conspurcetur, l. 1. §. 1. de extraord. crim. & sexcentis modis alijs, quorum hic magnam farraginem congerere non puto esse operæ precium.*

XXIII. Extra

XXIII.

Extra corpus Realis fit injuria, si quis domum aut habitationem alterius vi vel invito domino, aut habitatore introeat, *l. 5. pr. §. 2. & §. 5. l. 23 ff. §. 8. Inst. h. t.* non debitorem quasi debitorem appellaverit in juria faciendae causa, *l. 15. §. 33. h. t.* si quis ad tribunal ut eum naso adunco suspendat, & vexet, aliquem vocaverit, *l. 13. §. 3. ff. h. t.* si stuprum alicujus ancilla passa sit, *l. 25. D. eod.* si quis in ignominiam alterius lugubri utatur veste, *l. 15. §. 27. eod.* Si alium in publico lavare, sedere, agere, conversari non patitur, *l. 1. §. 7. h. t.* Et si id genus alia perpetrentur, *l. 1. §. 7. h. t.* Sed quis haec percensere posse? cum humana nequitia novas studeat quotidie edere formas, tantaq; horum exemplorum suppetat copia, ut diespiter vocandus esset in subsidium illi, qui curiose omnia corradere allaboraret. Ego ad verbalem propero.

XXIV.

Verba, quibus injuria committitur, exprimuntur vel lingua, vel scriptura: prius fit, si cui convicium dicatur, *§. 1. Inst. l. 5. C. h. t.* & in specie, si quis alicujus pudicitiam attentet, *h. e. si id agat, ut expudico impudicus fiat, d. §. 1. Inst. l. 9. §. ult. & l. seq. l. 15 §. 21. cum duob. seqq. h. t.*

XXV.

Posterius, si committatur h. e. quando injuriosa verba in scripturam rediguntur, in specie injuria dicitur famosus libellus, vel carmen famosum, *§. 1. vers. vel sequit. Inst. l. 5. §. 9 & 10 l. 15. §. 27. ff. h. t. l. unic. C. de famos libel. vid. Reformation guter Politey zu Augspurg 1548. §. von Schmätschiffren. & Politey Ordnung zu Franckfurt 1577. gebess. vt. §. eod.* Atq; hanc injuriam committit non solum is, ex cujus ingenio profluxit, sed & qui describit, edit, typis excudit, canit, dolove malo facit, quo quid horum fiat, *dd. loc.*

XXVI.

Neq; honoris praefatio naturam injuriosas voces purgat, ut si dicam tu mentiris salvo honore: vel, nequissimus es bipedum cum bona venia. Quia protestatio facta contraria nihil operatur, *e. 56. in fin. Ext. de Appellat. Geil. 2. observat. 101. n. 1 & 2.* Ceterum si subessent conjecturae, praesertim in levioribus injuriis, per quas talis protestatio adjuvaretur, quod scilicet proferens non habuisse animum injuriandi, certe protestatio talis prodesset, inquit *Clar. lib. 5. §. in-juria n. 15.*

XXVII. Oc-

Occurrit hinc quæstio satis ardua, An dicens alicui convici-
um, si vera objecerit, excusetur? Disting. Aut intest Reipubl. ut in-
notescat quod exprobratum est, aut non. Priori casu, siue quid ob-
jiciatur, quod proveniat ex culpa laceffiti, ut puta si vocetur homi-
cida, fur &c. siue non propeniat v. g. appelletur leprosus, excusatio
locum habet, *l. 18. princ. l. 33. ff. l. 5. C. h. t.* Quia 1. expedit Reip. ut cri-
mina puniatur, *l. 51. circ. fin. ad l. Aquil. l. 14. C. de pæn. 2. ne leprosi cū
alijs converfentur, c. 1. de conjug. leprosi. c. 2. de Eccl. adif* Tum non
præsumitur id injuriandi animo objecisse increpans, cum peccata
nocentium nota esse expediat *d. l. 18. princ. h. t.* Quod si verò con-
flet de covitiandi libidine, veluti si in rixa ex odio hoc dictum ap-
pareat, impunè non ferat, In dubio tamen sequenda erit decisio
d. l. 18. h. t.

Posteriori casu quando non expedit scire Reipubl: convicii
veritas non excusat. v. g. Si quis appelletur mendicabulum homi-
nis, si vocetur claudus, cæcus, aut alio naturali notetur vitio; hæc
enim cum propriè vitia non sint, nec ea propter nocens quis dici
possit (de quo loquitur Ictus *ind. l. 18.*) infamans injuriarum
actione tenetur, *arg. l. 3. ibi si vera voces sint, nec per libidinem, per cli-
entelas effuse. C. de offic. Rector. provinc. inhumanum quippe est &
ignominiosum, proximi navos detegere, arg. l. 2. vers. quid enim
tam durum. C. quand. & quib. quart. pars deb. &c. Gail. 2. observat.
99. Sneiderw. ad S. 1. n. 13. & seqq. Inst. h. t. Clar. S. injur. n. 15.*

In illo se mirè torquent interpretum ingenia, an sicut vim vi
l. 3. de justit. & jur. ita maledicta maledictis repellere sit permiffum?
communiter id affirmant *Vid. Gail. 2. observ. 101. n. 4. Mynsing: 5.
observat. 7.* & eò ista opinio extenditur, ut non tantum in continen-
ti, sed etiam ex intervallo, tam ab eo qui ab initio scivit se notatum
esse, quam qui ignoravit, neq; verbis saltem, sed etiam litteris, per
notarium, & testes injurias liceat retorquere. At ego hoc alienum
esse à Jure nostro (quamvis communi opinioni, & Praxi contra-
dicere nolim) omninò mihi persuasum habeo, cum *Zoanet. in tra-
ctat. de necess. defens. part. 1. n. 53. & duob. seqq. Speculat. tit. de accus.
n. 13. arg. l. 19. C. de his qui ac. non possunt. l. 2. §. 5. ad l. Jul. de adulter.*

XXX.

Non licet ergo, si quis me furem, nebulonem vocet, mei defendendi causa eadem in eum regerere sine nova injuria: neq; respondere possum; tu fur es, tu nebulonis nomē mereris, vel, tu mentiris ut fur, imò ne quidem hoc solo uti vocabulo tu mentiris. Quia ejusmodi retorsio spirat vindictam, quæ privato non est licita, præsertim cum via juris ordinaria pateat, *l. 126. de R. j. l. 14. C. de Judeis*. Deinde malum malo compensat, non propulsat. aut tollit injuriam, qui temerè verbis se ulciscitur, cum factum infectum fieri non possit; adeoq; nova nascitur injuria. Ob quam tamen non ordinariè, sed mitius retorquentem puniendum censeo: quia difficilimum est justum dolorem temperare, *l. 38. §. 8. ad L. Jul. de adult.* & ignoscendum est ei, qui provocatus se defendere voluit; *l. 14. §. 6. ff. de bon. liber.*

XXXI.

Sunt præterea quidem injuriarum gradus, quos pernoſcere omninò fas est, solet enim quædam dici Atrox, quædam Levis. Atrox æstimatur (1) ex persona agentis, & patientis, veluti cum magistratus à subdito, parens à filio, patronus à liberto, homo dignitate, & honore conspicuus à plebejo injuriam patitur, *l. 7. §. ult. l. 9. pr. ff. h. t. §. atrox. 9. vers. vel ex persona. Inst. eod.* (2) Ratione Temporis aut Loci, ut cum in publico omnium conspectu, in præsentia honestorum virorū, in theatro, vel foro injuria facta est, *d. l. 7. §. ult. vers. tempore. l. 9. §. 1. ff. d. §. 9. vers. ex loco. Inst. h. t.* (3) Ex re, seu facto ipso, veluti si quis fustibus cæsus sit, aut vulneratus, vel si cui oculus exsculptus, facies deturpata, nervus concisus sit, *§. 9. Inst. h. t. l. 7. §. fin. l. 8. l. 9. §. 1. ff. eod.*

XXXII.

Finis injuriarum est, ut contumeliosè quis offendatur, & injuriã adficiatur, ut supra th. 3. *ex l. 3. h. t. l. 34. princ. ff. de Oblig. & Act. demonstratum est.*

XXXIII.

Sequitur Effectus, qui consistit in actionibus ob injurias competentibus, pœnisq; infligendis. Hæc autem pro diversitate juris diversa reperitur, & varia. Ex L. XII. Tabularum propter membrum ruptum talio erat, ob os vero fractum nummaria constituta erat pœna. Levioris injuriæ, seu realis, seu verbalis multa olim fuit 25. assium. De priori casu ita inſit Favorinus apud *Gellium lib. 20. c. 1.* Ex L. XII. Tab. Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. De posteriori, si injuriam faxit alteri, viginti quinque; æris pœnæ sunt, quam pœnam Prætores mutasse potest.

B

stea

stea ex allegato cap. Gellij apparet . Verùm istæ pœnæ in desuetudinem abierunt, teste *Justin.* § 7. *vers. sed pœna. Inst. de Injur.*

XXXIV.

Actiones, quibus vindicantur injuriæ, proveniunt vel ex Jure Civili, vel ex Jure Prætorio. XXXV.

Primò ex Jure Prætorio est actio, quâ quis injuriam sibi quovis modo factam aut re, aut verbis, æstimat, ita tamen, ut judex æstimationem moderetur, & pro arbitrio æquam reo pœnam imponat, & actori adjudicet, §. 7. *vers. sed pœna. Inst. h. t.* unde actio hæc, si efficientem causam spectes, Prætorica est, nec non tamen Civilis dici potest, quatenus scilicet actio civilis criminali opponitur, quâ prosequimur vindictam publicam, ita ut reus vel in corpore coerceatur, vel condemnetur in multam fisco solvendam.

XXXVI.

Secundò ex Jure Civili, & quidem ex L. Cormelia descendit actio, non ob quamlibet injuriam, ut prior illa, sed ob tria hæc capita competens quod quis pulsatus, verberatusve, aut domus ejus vi introita sit, l. 5. *princ. ff. §. 8. Inst. h. t.* Quæ tamen postea ad quasvis injurias extensa est, l. 7. §. 6. *ff. §. 10. Inst. h. t.* Fit hinc iridem æstimatio, sicut in Prætorica, §. 8. *Inst. l. 37. §. 1. ff. h. t.*

XXXVII.

Tertiò non tam (quantum mihi constat) ex certa lege, quam ex moribus, seu consuetudine, ob quamcunq; injuriam introducta est extraordinaria criminalis actio, quâ postulare licet, ut extra ordinem in corpore temeritas rei coerceatur, §. 10. *Inst. h. t. l. fin. ff. eod.*

XXXVIII.

Quartò olim ex L. XII. Tabul. ut constat ex Cicerone de Republ. postea SC. & constitutionibus statuta est pœna, ejusq; persecutio criminalis in eos, qui libellos, seu picturas famosas edunt, ac divulgant, l. 5. §. penult. l. 6. *ff. h. t. l. unic. C. de fam. libell. Ordinat. Polit. de Anno 1577. tit. 35. §. vno sequen.*

XXXIX.

In summa vel Civiliter, vel Criminaliter olim agebatur; & hoc etiam hodiernum ita servatur. Civiliter agens, secundum dicta, æstimat injuriã, & quidẽ juramento ut volunt *Ed. Vid. Wes. hinc in π. n. 14. Sneyd. §. Pœna. 7. Inst. h. t. n. 12. Old. cl. act. 20. n. 5. Gail. 2. observ. 102 n. 9. 10. 11. peti q;* ut judex vel tanti reum condēnet, quanti injuriam passus æstimaverit: v. g. peto (ut stylus habet) in tantam pecuniã summã reum condemnari, quantam

tam

tam perdere, aut non acquirere vellem, quàm injuriam ferre inultam; vel minoris, prout ei visum fuerit ex re, seu facto ipso, hoc est, ex qualitate injuriæ, ex loco, ex persona, ex tempore. His enim ex fontibus æstimationem injuriarum desumendam dixi antea in *th. 32. ex §. 9. Inst. l. 7. §. fin. ff. b. t.* neq; referendam esse istam injuriæ æstimationem ad tempus, quo judicatur, sed ad id, quo facta est, probat *l. 21. h. t.*

XL.

Criminaliter agitur, quando simpliciter actor petit puniri reum: & tum pœna est arbitraria, adeò ut judex possit pro qualitate delicti vel corpori eam infligere, vel pecuniariam addicere fisco, *§. 10. Inst. h. t. l. ult. ff. eod.* Et ultimum hoc quamvis petat actor, adhuc tamen criminalem actionem intentasse existimatur, *Hackelm. in suis disput. h. t. h. 20. lit. a. Wesenb. in π. n. 14.*

XL I.

Criminalis hæc actio iterum in Jure nostro dici haut incommode potest vel Ordinaria, vel Extraordinaria. Extraordinaria, cum arbitrio judicis pœna committitur, nullâ scilicet legibus expressâ, ut *th. precedenti* dictum est, *l. 13. de pœn. junct. l. 6. 9. & penult. de Extraord. Crimin. l. fin. §. penult. C. de mod. mult.* Ordinaria, quando agitur ad certam pœnam, huic vel illi injuriæ à legibus ipsis assignatam, qualis est capitalis illa famosorum libellorum, scriptoribus & vulgatoribus imposita, *l. unie. C. de Libell. fam. Carol. V. Const. Crimin. art. 110. can. ult. c. 5. q. 2.* Item illa, quâ ministris Ecclesiæ cum sacra peragunt, in templis injuriam inferentes tenentur, *l. 10. cum Aut. seq. C. de Episcop. & Cleric. Nov. 123. c. 31.*

XL II.

Cæterum injuriarum judicio experiri potest, quicumq; passus est injuriam, vel per se et ipsum, vel per alios, quorum salus, & defensio ipsi curæ esse debet; sic pater, & suo, & filij nomine agere potest, *l. 2. C. h. t. ut supra th. 15.* demonstravimus. imò olim solus pater non filius agebat. Licet enim & huic actio quæsita videbatur, *l. 1 §. fin. h. t.* tamen uti patri aliàs, ita & hîc per ipsum acquirebatur injuriar. actio. Adeò ut filius vivo patre illâ non potuerit experiri, nisi fuerit parens absens, aut vilis persona, filius verò honesta. Quod tamen de Prætoria actione, non Civili ex L. Cornelia ob injurias reales filio illatas competente intellige, *l. 5. §. 6. & seq. h. t.*

XL III.

Sic maritus suo, & uxoris nomine agere potest, non contrâ: defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus æquum est, *d. §. 2. Inst.*

h. t. l. 1. §. 3. & fin. l. 2. l. 18. ff. b. t. Imò ex una injuria interdum plures oriuntur actiones, d. l. 1. §. fin. ff. & d. §. 2. Inst. b. t. junct. th. 18. 19. & 20.
XLIV.

Potest autem quis vel ipse, vel per procuratorem in privatâ injuriarum actione agere, & excipere, *l. 11. §. 2. ff. §. 10. Inst. b. t.* Secus est in criminali, in qua nemini nisi illustri personæ procurator conceditur *d. §. 10. Inst. b. t. l. fin. C. eod.* Hodiè admitti procuratores etiam in actione criminaliter intentata ad pœnam filco applicandam, testis est *Treut. hic thes. 6. l. h.*
XLV.

Contra quos detur injuriarum actio ex superioribus liquet, quibus hoc saltem addo: etiam magistratum, si quid per injuriam, vel quasi privatus fiduciâ magistratus fecerit, injuriarum posse conveniri, *l. 32. ff. b. t. Gail. de arr. Imperij. c. 14. n. 1.*
XLVI.

Quamvis autem conviciatorum opprobria non lædant eos, qui secundum virtutem vivunt; neq; in virum bonum, testante Seneca, cadat injuria. Quippe ut malam conscientiam non sanat laudantis præconium, sic bonum virum non vulnerat conviciantis opprobrium. Tamen vulgò creditur, injurijs & convitijs famâ lædi; & talis quisq; esse existimatur, qualis dicitur, atq; approbare injuriam, qui inultam relinquit. Unde moribus & consuetudine introducta, & approbata est in Ord. Camer. par. 2. tit. 28. §. vnd sonderlich. Actio ad Palinodiam, seu recantationem, quâ fama læsa restitui, & redintegrari censetur. Petit enim actor, ut reus revocet opprobria, & fateatur, injustè se ea effutijisse, veniamq; exoret, ac famam restituat, *Gail. 1. observ. 65. n. 2. circ. fin.* & hanc actionem civilem & non criminalem judico cum eodem *Gail. d. obs. Mynsing 2. observ. 98.* quia tendit ad restitutionem famæ, quæ corrupta videtur, non ad vindictam: nam reus nec famæ, nec pecuniæ damno cohercetur. Non ergo pœnalis est, sed rei persecutoria, præsertim cum recantatio injungi solet salvâ recantantis fama, *Gail. d. observ. n. 6.* Unde non consumit injuriarum actionem, sed vel separatim potest institui, vel concurrere cum ea, & cumulari in uno libello, *Gail. d. obs. n. 5.*
XLVII.

Contra verò actio injuriarum Civilis tollit criminalem, siquidem utroq; in judicio idem occurrit factum, utraq; actio ad vindictam colimat, *l. 6. l. 7. §. 1. ff. b. t. l. 2. §. 4. de Collat.* & etiamsi in Civili æstimatione

15
tio fiat, ea tamen non tam famæ est, utpote quæ æstimationem non
admittit, quàm petulantia & injuriæ calumniatoris.

XLIX.

Judicio injuriarum seu civili seu criminali damnatus fit infamis,
§. 2. *Inst. de pœn. tem. litig. l. 7. princ. ff. h. t. l. 1. de his qui not. infam. l. 7 ff. de
publ. judic. quam tamē notam effugere potest, (1.) qui per procuratorem
agit, l. 6. §. 2. de his qui not. infam. Gail. 2. observ. 102 n. 7. (2.) qui jussu judi-
cis transigit super injuria, l. 6. §. 3. in fin. de his qui not. infam. Gail. d. ob. n. 13.
(3.) Si pacto gratuito injuria remittatur, d. l. 6. §. 3. de his, qui not. inf. l. 17. §. 1.
de pact. l. 17. §. 6. ff. de injur. secus est si mercedis quid interveniat: nam
tunc condemnato infamiæ macula inuritur, d. §. 2. in fin. *Inst. de pœn. te-
merè litig. l. 4. §. fin. cum l. seq. ff. de his, qui not. infam. l. 18. C. eod. Gail.
dict. obser. n. 17. & 18. (4.)* Etiam illum liberum ab infamia pronuntiant
Dd. qui ante sententiam definitivam æstimationem injuriæ solvit, *Gail. 2.
obs. 103. Sneid. ad §. in summa. 10. n. 12. Inst. h. t. & alij ab eo alleg.* Et qua-
tuor his modis limitant Regulam in principio hujus thes. positam, qua-
rum tamen tres posteriores revera non sunt exceptiones à regula
de damnatis loquente.*

XLIX.

Hodiè injuriarum condemnato fama in sententia conservari solet,
teste *Treutl. hic Th. fin. lit. D.* quod tamen à jure nostro absonum mihi
videtur. Quamvis enim pœna gravior ultra legem imposita existimatio-
nem conservet (sunt verba *l. 13. §. pen. ff. de his, qui not. infam.*) tamen si
ordinaria irroganda est, qualis hïc, infamia non voluntati judicantis, sed
legis auctoritati relinquitur. Idq; nominatim de actione furti, cujus ea-
dem hoc in passu videtur ratio, respondet *Jctus in l. 63. de furt.* Verùm ita
stylus judicij recepit, qui pro lege servandus est, *Gail. 1. observ. 65. n. 8.*

L.

Atq; hi modi sunt, quibus infligitur, & vindicatur injuria. Colo-
phonidis loco illud nobis explicandum est, quomodo ea aboleatur, tol-
latur, remittatur. Semel enim remissa, & sublata non potest per pœniten-
tiam resuscitari, §. *fin. Inst. l. 11. §. 1. ff. h. t.* Tollitur autem duplici modo;
uno, ut ab initio statim impediatur, ne nascatur actio: secundo, ut actio
nata enervetur.

LI.

Prius fit, cum lacesitus injuriam non admittit ad animum, sed eam
contemnit, risuq; potius, quam indignatione, aut vindictâ adversarium
dignum

dignum iudicat. Ita Titus Tacitus maledicenti Metello; facile est, respondit, in me venenosos convitiis defigere aculeos, cum non sim responsurus. Et Xenophon in verecundo, ac omni pudore diruto calumniatori nihil retaliavit, quam hoc: Tu didicisti maledicere, ego, conscientia teste, maledicta contemnere didici. Ne ergo actio nascatur necessarium est, quandam declarationem contempta, & ludibrio habitae injuriae intervenire: sola enim taciturnitas non sufficit praesertim cum animum ulciscendi cupidum proderi non semper opportunum sit, aut tutum.

LII.

Posteriori vel morte fit, vel remissione. Morte quidem fiat, nemo non intelligit, tam ejus, qui auctor est injuriae, quam qui eam passus est. Unde heredi & in heredem non datur, nisi litem defunctus fuerit contestatus, *l. 13. princ. ff. h. t. §. 1. Inst. de perpet. & temp. action. l. 10. §. 2. si quis caut. in judic. l. 26. & 58. de oblig. & action. quia in iudicio quasi contrahitur, l. 3. §. 11. de pecul. Ita ut post litem contestatam non amplius ex maleficio, sed velut ex contractu agi videatur. Secus est in criminali, nam in ea etiam post litem contestatam tum delictum, tum poena morte rei extinguitur, *l. 6. de publ. judic. l. 15. §. 3. ad SC. Turpil. l. 2. C. si re. vel ac. mort. l. unic. C. ex del. def.**

LIII.

Remissio, qua extinguitur injuria, est vel Expressa, vel Tacita. Haec in duas dispescitur species; quarum altera ex lapsu temporis inducitur, scilicet anni in Praetoria injuriarum actione, *l. 5. C. b. t.* atque ita litem in hac actione intra annum contestari necesse erit, quoniam hoc regulare est, ut quaevis actio non per citationem, sed per litis contestationem iudicio inclusa dicatur, & ita perpetuetur. In Camera tamen Imperiali ob multitudinem causarum sola citatione, & ejusdem reproductione perpetua redditur, *Gail. observ. 64. n. 4 §. 6. & obs. 74. in fin.*

LIV.

De anno acriter hic disceptant Dd. An utilis an continuus intelligendus? Ego ut in re difficili non plane taceam, disting. puto, inter annum utilem ratione initij, & ratione decursus. Illo respectu ex eo dicitur, quod non currat ignorantia, aut impedito agere, *l. 1. C. de div. & temp. presc. l. 2. Quis ord. in. poss. & ita hic esse annum utilem non continuum, h. e. currere non a tempore illatae injuriae, sed scientiae statuo cum Gail. 2. obs. 105. Mynsing. 5. obs. 7. n. 7. Hoc respectu utilis dicitur, ut non computentur dies, quibus etiam sciens agere minime potuit, non tantum propter impedimentum in persona propria, sed etiam iudicis, vel rei,*

15
rei, arg. d. l. 1 in fin. de divers. & temp. præscrip. v. g. annus dicitur utilis, qui non currit diebus feriatis. Et hunc quoq; annum utilem requiri, non fecus ac priorem, ad injuriarum vel præscriptionem, vel deletionem arbitror, tum ob rationem generalem, quam *Gail. d. loc. n. 4.* reddit, quod in omnibus actionibus prætorijs temporalibus tempus intelligatur utile, secundum *gloß. in princ. Inst. de perpet. & temp. action. ad verb. intra annum, arg. l. 1. §. 39. de Vi & Vi arm.* tum ob text. in l. 14. §. 2. quod met. caus. fact. quamvis interpretes contrà communiter sentiant, non desituti rationibus, continuo anno hanc excludi actionem, teste *Sneid. ad §. sed & ex L. Corn. Inst. h. t. n. 2.* Idq; in foro receptum sit.

L V.

Actionem injuriarum, ex L. Cornelia tribus casibus *Thef. 37* enumeratis competentem, quod attinet, eam puto perpetuam esse, h. e. usq; ad finem constitutionibus introductum, ut loquitur Imp. in *princ. Inst. de perpet. & temp. act.* durare, qui finis regulariter 30. annis circumscribitur, l. 3. & 4. C. de præscript. 30. annor. l. 1. de ann. Except. & illud tempus per surrogationem abusivè dicitur perpetuum, *dict. princ. ver. aliquando.* Cujus textus generali sanctioni insistendum, donec probetur exceptio, *Sneid. ad §. 8 n. 3. Inst. de Injur.* eamq; sententiam observari in Camera præjudicijs probat *Mynsing. 1. observ. 84.*

L V I.

Neq; aliud obtinet in actione ex SC. & Constitutionibus de libellis famosis proveniente, cum & illæ civiles sint.

L V I I.

Actionem quoq; ex injuria scripta (licet illa verbalis sit) pullulantem perpetuam esse statuit, probatq; *Geil. 2. observ. 104.* quia scriptura semper manet, semperq; loquitur; & illam sententiam in decernendis processibus Camera sequi testatur *ibid. Gail.*

L I X.

De actionis criminalis abolitione nihil habeo, quod dicam, quam illam terminari viginti annis, sicut cætera quoq; crimina, quibus vel brevior, vel longior terminus injure præscriptus est, l. 12. c. ad. l. Corn. de fals. quod de hae actione, quantum mihi videre licuit, non reperitur. E. regulæ d. l. standum erit.

L I X.

Veruntamen eam limitandam putat *Balb. de præscrip. quart. part. quart. princ. q. 1 n. 6. cum alijs ibi alleg.* si actio pœnalis civilis, seu quæ civiliter intentari potest, cum criminali descendens ex uno eodemq; delicto, sit.

cto, finiatur anno, ut est in nostra materia actio injuriarum Prætoria, l. 5. C. de Injur. jung. th. 55 Et facit Balb. d. loc. cum Saliceto hanc conclusionem: quod de crimine non possit criminaliter quæri ultra tempus, intra quod licet de eo criminaliter agere: sed extincta civili, criminalis quoq; extinguatur. Hisce ad stipulatur Clarus §. injuria, n. 9. dicens, criminalem actionem injuriarum esse annalem.

LX.

Quod autem hactenus dictum fuit de præscriptione injuriæ, procedit in foro temporali, respectu poenæ, & vindictæ civilis; non in foro conscientiæ, quoad pœnitentiam peragenda. Hic enim temporis diurnitas delictum non minuit, sed auget, ut loquitur Clemens 3. c. 5. in fin. Ext. de eo qui duxit in matr. quam pol. per adul. & tanto graviora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, c. fin. in princ. Ext. de consuet.

LXI.

Altera Tacite Remissionis species est illa, quæ præsumitur ex factis offensi, veluti si quis cum eo, à quo accepit injuriam, familiariter conversetur; idq; faciat ultrò, non illectus, aut coactus honestatis, vel necessitatis lege; veluti si una cum adversario ad convivium ab amico invitetur, Dd. in §. fin. Inst. h. t.

LXII.

Expressa Remissio fit pacto, vel transactione, l. 27. §. 4. l. 17. §. 1. l. 11. §. 1. l. 17. §. 6. ff. h. t. junct. Th. 49.

LXIII.

Remissa tamen his modis injurià, non censetur remissum damnum, & id, cujus interest patrimonio injuriam factam non esse. Quia actio injuriarum non eò spectat, ut resarciatur damnum rei familiari datum, sed ad vindictam contumeliæ illatæ, l. 7. §. 1. l. 15. §. 46. l. 34. de O. & A. Mysing. 4. obser. 10. & Wesenb. hic. n. 14. in π.

LXIV.

Modis tollendi injurias, earumq; actiones, quos hactenus recensui, non censo, salvo a iorum judicio, annumerandam Retorsionem: quippe quæ non vindicat legitimè, neq; contra jura vindicare potest injuriam; sed impatientiam declarat, & ad animum contumeliam revocat. Id quod dissimulationi opponitur in l. 11. §. 1. ff. h. t. Verùm hic pausari facio, solumq; Disputationis abrumpo. Si quæ (de quo nullus dubito) ob ingenij paupertini culpam prætermissa sunt, ea jugi, ac sedulâ lectione ex alijs petere cuilibet liberum erit.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Dn. RESPONDENTEM.

Q Valis Apollineæ quondam nitorexti-
tit artis,
Dum vitâ fruere tur, Avus. Quod præ-
stitit olim,

Igneus ingenio, facundo Tullius ore,
Suadela, Phæboq; PARENS; hoc solvere sacrae
Tu, JACOBE, cupis Themidi. Vestigia Tanti
PATRIS, Aviq; juvat legisse. Secundet, & ornet,
Opto, DEUS studiū. Tendentis ad ardua gressus
Dirigat, æternumq; sinat florescere LAURUM.

Scrib.

PRÆSES.

~~~~~

**Q** Vi tua, qua justifulges Dea mater & Æqui,  
Omne sat fausto templa petita feris  
Nobilis huic Laurus sua nomina Monsq; dederunt.  
( Scilicet è celso est parca corona loco )

Laurembergiades est, qui tua, Diva, salutas  
Numina, laturus munera prima venit.  
Munera qua, tantâ solum dignissima Diva,  
Accipit augustâ mox Themis alma manu?  
Atq; ait: antiquam Juvenis dignissime, Laudem  
Reddo, sed & famam, tu modò perge, dabo.  
Qua sit nata tuo haud intermoritura parenti  
Gloria, scis; Medici laus erat ille chori.  
At tibi qua, Juvenis, conanti premia restant  
Qua faciunt homines posse referre Deos.

*Conf.*




*Consilio lapsos eriges, Prudentia lapsis  
Proderis, & cunctis lanx eris aqua bonis.  
Justitia est qua sola Deos mortalibus aequat,  
Quae nos ex humili tollere sede solet.  
Sic ait atq; suum Themis ex hortatur alumnum  
Clarus es, haud voluit dicere, dixit eris.*

Felicem ad Themidos

templam aditam LAUREM BERGII  
suo precatul

JOHANN VOSSIUS,



*Ad Politissimum & Doctissimum*

**DOMINUM RESPONENTEM,**

Amicum singulariter honorandum.

**C**ur placuit Tibi praereliquis injuria Juris  
Materijs? studio non ea digna tuo.

Si tamen, huic quae sunt contraria, Justitiam &  
jus


Sic melius satagis noscere; digna, puto.

*Honoris ergo.*


f.

**GEORGIUS GERDES**

Lubecensis.







the scale towards document

quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 o 1615. vagabundus quidam homo cõ-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Græcorum  
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas  
 tẽ impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniæ  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 pœnam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio fœminæ cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-  
 , pœnam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publicè jactaverat, quem postea  
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata à *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personã sua pla-  
 en suum mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quæ notissimum est illud Plau-  
 ptã forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut è bello rever-  
 ncubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

